Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dominica dicens. Post ista omnia in consummationis clausula venit universas petitiones et preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus. sed libera nos a malo. Comprehendens adversa cuncta que contra nos in mundo molitur inimicus. a quibus potest esse firma tutela si nos liberet deus. si deprecantibus atque implorantibus opem suam prestet. Quando autem dicimus sed libera nos a malo nihil remanet quod ultra adhuc postulari oporteat. quando semel protectionem dei adversus malum petamus. Qua impetrata contra omnia que diabolus in mundum operatur securi stamus et tuti. Quis enim ei de seculo metus est cui deus tutor est. Quid mirum fratres karissimi. si oratio talis est quam deus docuit qui magisterio omnem precem nostram salutari sermone breviavit. Hoc iam per prophetam ante fuerat predictum. cum plenus spiritu sancto de dei maiestate ac pietate loqueretur. verbum consummans inquit et brevians in iusticia. quoniam sermone breviatum faciet deus in toto orbe terre. Quando. Quando cyprianus quod illa una peticione concluserit omnis oratio nostra. id est sed libera nos a malo. in eo possumus intelligere posse significari per finem orationis finem nostre persecutionis. Sequens oratio expositio est novissime peticionis. Illa dicit sed libera nos a malo. ista dicit a quibus malis scilicet presentibus preteritis et futuris. et ut non sit domus vacans. precatur pax a deo intercedentibus sanctis. Igitur subditur. Et da pacem in diebus nostris. Nulla pax tutior quam obedire domini preceptis. declinare mala et facere bona. Inde dicit propheta. Declina a malo et fac bonum. Et apostolus. Odientes malum adherentes bono. Replicat in sequentibus eandem orationem. Non se confidit suis meritis hoc posse impetrare apud dominum. quapropter dicit. ut ope misericordie tue adiuti. ac deinde subdit aptius. a quibus malis precetur eripi. videlicet ut a peccato simus liberi. et quam precem precetur subdit iterum. et ab omni perturbatione securi. quod non potest fieri. nisi studeat virtutibus. Ut diximus nihil aliud continet sequens oratio nisi ut exponat memoratam peticionem. Possunt tres articuli presentis orationis coaptari tempori triduane sepulture domini. ac ideo hoc solum de missa posse intelligi celebrari in parasceue pro tribus continentibus diebus sepulture.

De presentatione subdiaconorum. ut suscipiant corpus domini de altari.

Hoc officium ad memoriam ducit devotissimas mulieres que se ipsas presentaverunt exequiis sepulture domini. Presentantibus se sanctis mulieribus ad sepulchrum domini inveniunt spiritum redisse ad corpus. et angelorum visionem circa sepulchrum ac adnunciant apostolis que viderant. De quo utilem admonitionem dicit Beda in tractatu super lucam. Quoniam inquit posito in sepulchro salvatoris corpore angeli adstitisse leguntur. ita etiam celebrandis eiusdem sacratissimi corporis mysteriis tempore consecrationis adsistere credendi sunt. monente apostolo. mulieres in ecclesia velamen habere propter angelos. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram. dixerunt ad illas. Quid queritis viventem cum mortuis. Non est hic sed surrexit. Nolite inquiunt cum mortuis hoc est in monumento qui locus utique est proprie mortuorum querere eum qui ad vitam iam surrexit a mortuis. Et nos exemplo devotarum deo feminarum quotiens ecclesiam intramus. mysteriis celestibus appropinquamus. sive propter angelice presentiam virtutis seu propter reverentiam sacre oblationis. cum omni humilitate et timore debemus ingredi. ad conspectum quippe angelorum. vultum declinamus in terram cum supernorum civium que sunt gaudia eterna con